ΣΤΟΙΧΕΙΩΣΙΣ
ELOQUIORUM DEI,
sive
Methodus Religionis *Christianæ catechetica.*

In usum Academiæ
IACOBI REGIS,
& *Scholarum Edinburgensium* conscripta.

Secunda hactenus prima emendatior.

EDINBVRGI,
In Academia IACOBI REGIS,
excudebat Georgius Anderſonus,
Anno Dom. 1637.

MAGNIFICIS,
Virtute & Honore præstantibus Viris, inclytæ Vrbis,
EDINBVRGI, *Gubernatoribus amplissimis,*

DAVIDI AIKINHEAD,
Dignissimo Urbis Præfecto:

Iacobo Cochran, Andrææ Ainsley, Ioanni Smith, & Carolo Hamiltoun,
Prætoribus aquissimis,

D. Ioanni Sinclar, *Equiti, Ædili vigilantissimo, &* Iacobo Rochead,
Quæstori fidelissimo,

Cæterisque Urbis florentissimæ prudentibus Senatoribus, optimis Academiæ *Patronis, Mecœnatibus suis benignissimis, hanc Stoicheioseos editionem,* submissi & grati animi tesseram D. D. Q.
Io. ADAMSONUS.

DE RELIGIONE IN GENERE.

Ubi de Religionis fructu, definitione, fundamento, & partibus.

Quæstio.

Via est unica ad salutem, seu veram felicitatem via?

Responsio.

Religio Christiana. Ioh. 14. 6. 1 Tim. 2. 5 Act. 4. 12 Ioh. 3. 36.

Q. *Quam appellas religionem Christianam?*

R. Quæ doctrinę Christi conformis est. Ioh. 8. 31, & 10. 27. Ioh. 15. 14

Q. *Vnde diserta est doctrina Christi?* 2 Ioh. 9 Ioh. 5. 39 2 Tim. 3. 15 Eph. 2. 20 Rom. 15. 4

R. Ex sacris Scripturis veteris & novi Testamenti.

Qu. *Quibus*

Q. *Quibus illa proprietatibus nobis precipuè commendantur?*

R. Quod authenticæ sint, canonicæ, perfectæ, & perspicuę.

Q. *Cur Scripturas authenticas appellas?*

1 Tim. 1.15
2 Thes. 3. 14. R. Quia suo jure & authoritate obligant omnes ad fidem & obedientiam.

Q. *Vnde habent authoritatem, seu potestatem illam?*

2 Tim. 3.16
2 Pet. 1.21
Rom. 3.4
Mat. 17.5
Mat. 28.18 R. Ab authore suo Deo, cujus summa est & veracitas & potestas, in quam, tanquam in primam causam, omnis fides & obedientia resolvenda est.

Q. *Suntne ergo sacræ Scripturæ verbum Dei?*

R. Sunt planè.

Q. *Vnde id nosti?*

R. Ex testimonio Ecclesiæ, ex doctrinæ genere & efficacia, ex styli majestate, & partium consensu.

Q. *Vecunque nos inducant rationes illæ, ad credendum, quod Scriptu-*

re

ra, sint verbum Dei, non tamen sufficere videntur ad plenam hujus dogmatis fidem & persuasionem?

R. Ut certò credamus Scripturas divinas esse, iisque verbum Dei contineri, necesse est, ut interna Dei, per Spiritum sanctum persuasio accedat. 1 Cor. 2. 10, 11, &c. 1 Joh. 2. 20 27 Rom. 12. 2 Joh. 7. 17

Q. *Quorsum verò exarari oportuit verbum Dei, & scriptis comprehendi?*

R. Ut doctrinæ cœlestis puritas illibata conservaretur. 2 Reg 22. 8 2 Para. 17. 9 Nehem. 1, 8, &c. Gal. 6. 16 Ecc. 12. 10 Iac. 4. 12 2 Tim. 3. 16 Psal. 119. 105 Matth. 22. 29, 30, 31, 32, & 40

Q. *Quisnam est ille canon, quem sacræ literæ tradunt & præscribunt?*

R. Doctrina divina ipsis comprehensa. *

Q. *Cur perfectas nuncupat?*

*R. Quia omnia continent, quæ necessariò credenda sunt, vel facienda ad salutem. Joh. 20. 31 2 Tim. 3. 15, 16, 17 Luc. 16. 28 Act. 26. 22 Act. 26. 27 1 Cor. 4. 6

Q. *Quare perſpicuas appellas, cùm multa in iis comprehendantur obſcura, & intellectu difficilia?*

2 Pet. 3. 16
2 Cor. 4. 3. 4
Prov. 6. 23
Pſal. 118. 105
Mat. 5. 14
2 Pet. 1. 19

R. Perſpicuas eſſe dico non in omnibus abſolutè, ſed in omnibus neceſſariis ad ſalutem.

Q. *Suntne igitur Scripturæ ſacræ ab omnibus, qui ſalutem conſequi volunt legendæ & diſcendæ?*

Deut. 6. 7
Deut. 17. 19
Ioh. 5. 39
Col. 3. 16

R. Ab omnibus, etiam à laicis & indoctis.

Q. *At linguis vulgo ignotis, Hebraïcâ & Græcâ exaratæ ſunt.*

1 Cor. 14 6, 7, &c.

R. Transferri oportet in linguas notas & veruaculas, ut ab omnibus legi queant & intelligi.

Q. *De fructu & fundamento Religionis rectè reſpondiſti, nunc de partibus audire cupio quid ſentias.*

1 Ioh. 2. 23
Gal. 5. 6
Eph. 1. 15 16

R. Religionis partes duæ ſunt, fides & bona opera.

Q. *Suntne utraque, & fides & bona opera, ad ſalutem ſeu veram felicitatem neceſſaria?*

R. Vtraque in adultis neceſſaria ſunt,

sunt, nam & infidelibus interminatur Scriptura condemnationem, & arboribus fructum bonum non ferentibus excisionem & abjectionem in ignem. Mar. 16. 16 Mat. 3. 10

Q. *Potestne fides esse sine bonis operibus?*

R. Fides viva & salutaris sine bonis operibus esse non potest: nam fides quæ opera non habet per se mortua est. Iac. 2. 20

Q. *Possuntne bona opera esse sine fide?*

R. Opera sine fide bona esse possunt in hominum conspectu, at coram Deo nec queunt esse bona, nec operanti salutaria: nam sine fide impossibile est placere Deo, & quod ex fide non est, peccatum est. Heb. 11. 6 Rom. 14. 23.

De fide, pars prima.

Q. *Quid est fides?* Ioh. 17. 3 Isa. 53. 11 Heb. 11. 1 Col. 2. 2 Eph. 2. 12

R. Est vera & certa Dei in Christo notitia, cum fiducia salutis per eum obtinendæ.

Q. *Recita*

Q. *Recita symbolum, seu confessionem fidei.*

R. Credo in Deum, Patrem omnipotentem, &c.

Q. *Quomodo confessionis hanc formulam partiris?*

R. In duas partes, quarum una spectat ad Dei naturam & opera, altera ad ecclesiam, & Dei erga eam beneficia.

De Deo *trin-uno.*

Q. *Quid credis de Dei naturâ?*

R. Credo unam & individuam esse divinam essentiam, quam Deitatem seu Deum appellamus, & in illâ essentiâ tres agnosco personas distinctas, *Patrem*, qui ab æterno filium genuit; *Filium*, qui ab æterno à Patre genitus est; & *Spiritum Sanctum*, qui procedit à Patre & à Filio.

1 Cor. 8.6
Mat. 28.19
1 Joh. 5.7
Joh. 1.14
Joh. 15.26
Gal. 4.6

Q. *Nonne unam Deitatem in tribus personis, & tres personas in unâ Deitate colere oportet.*

R. Maxi-

R. Maximè, ideoque in symbolo dico me credere in Deum Patrem, & in Filium, & in Spiritum sanctum; prima autem & præcipua pars cultus illius, qui Deo debetur, est in Deum credere. 2 Cor. 13, 13. Ioh. 14, 1. Heb. 11, 6

Q. *Cur dicit, quasi pro te solo, credo?*

R. Quia unumquemque propriâ fide, non alienâ servari oportet. Hab. 2, 4. Mat. 25, 8, 9

Q. *Quid autem est, in Deum credere?*

R. Est non tantùm eum nosse, qualiter se in verbo suo patefecit, & pro tali eum agnoscere, sed etiam fiduciâ in eum recumbere. Psal. 2, 12

Q. *Quibus fulcris & columnis nititur hæc tua in Deum fiducia?*

R. Paterno ejus affectu, & omnipotente virtute, quibus omnia bona conferre, & omnia mala avertere, aut in bonum meum convertere, & velit, & possit. Ioh. 3, 16. Luc. 1, 37. Eph. 3, 20. Rom. 8, 28

Q. *In quibus patefecit Deus paternum illum affectum suum, & infinitam virtutem?*

R. In operibus creationis & redemptionis. Act. 17, 24, 28. Ioh. 3, 16. Rom. 8, 19, 20

De

De Providentia.

Q. *ET taces sapientem illam & admirandam providentiam, qua Mundum regit?*

Heb. 1.3 Eph. 1.19 20 Rom. 11. 36. Act. 17.25 26,27,28. 1 Pet. 4.19

R. Eam creationis nomine complector; nam quemadmodum Mundum olim cum apparatu suo fecit & disposuit; ita etiam deinceps, ut fidelis Creator, eum providentiâ suâ conservat & tuetur.

Q. *Spectatne ergo Dei providentia ad omnia quæ sunt, aut fiunt in rerum natura?*

Mat. 10. 29,30.

R. Ad omnia, etiam ad passerculos, & pilos capitis nostri.

R. *An etiam in malis locum habet divina providentia?*

2 Sam. 24.1 1 Par. 21.1 Gen. 50.20 2 Sam. 16 10, 11 Iob. 1. 21 Act. 2.23

R. Imò in scelestissimis ac maximè nefariis impiorum facinoribus; in iis enim Deus operatur benè, ea limitat, dirigitque in suam gloriam, & in suorum consolationem.

Q. *Nihil ergo fortuna auspicia geri contendis?*

Prov. 16.33 Iob. 14.5

R. Nihil planè; quidquid enim in rerum natura evenire videmus, id ex

æterno & definito æterni Dei consilio provenit, regitur, ac determinatur. Act. 4. 27, 28.

De creatione Hominis.

Q. *IAm video Deum ita dici Creatorem cæli, & terræ, ut eodem nomine etiam rerum omnium Moderator intelligendus sit. Dic ergo jam de Homine qualem illum Deus principio condiderit.* Gen. 1. 31

R. In principio creavit Deus omnia valdè bona, & præter cætera Hominem creavit ad imaginem suam, in justitia & vera sanctitate. Gen. 1. 27 Eph. 4. 23 24.

De lapsu.

Q. *QVomodo nos beatâ hac conditione excidimus?*

R. Per lapsum & inobedientiam primorum parentum, Adami & Evæ. Genes. 3. 6 1 Tim. 2. 14

Q. *Vnde illis illa apostasia?*

R. A Satanæ deceptione, & liberi sui arbitrij abusu.

Q. *Quid ita?*

R. Diabolus

Iud. 6
Joh. 8.44
Gen. 3.
2 Cor. 1,13

R. Diabolus, cùm in veritate ipse non stetisset, sed originem & domicilium suum deseruisset, factus homicida, hominem ad inobedientiam pellexit, ille verò, sponte tentationi cedens, turpiter defecit à *Deo*, creatore suo.

De peccato originis.

Q. *AT verò an nos rei sumus primævi illius peccati parentum?*

Rom. 5 12. 18
Heb. 7. 9. 10

R. Omninò. Nam nos in iis peccavimus, cùm in lumbis eorum essemus, sortis eorum vel beatæ, vel miseræ participes futuri.

Q. Quam ergo nobis pœnam apportat hæc eorum prævaricatio?

Rom. 5 16. 18
Rom. 3 10, &c.
Gen. 6. 5
Psal. 51. 5

R. Ex eâ omnes morti & damnationi facti sumus obnoxii, imaginem *Dei* amisimus, & in omnibus, tum animi, tum corporis facultatibus, teterrimâ inquinatione nascimur polluti.

Joh. 8. 34
Rom. 6. 16
Rom. 2. 12

Q. *Quousq; invaluit hæc corruptio?*

R. Eousque, ut omnes peccato mancipati

mancipati, inepti simus ad omne bonum, & ad omne malum proclives. Rom. 8. 7 1 Cor. 2. 14

Q. Quid autem? an otiosa delitescit in nobis hac corruptio? Gen. 6. 5

R. Imò verò producit peccatorum actualium omne genus, in cogitatione sermone, & opere. Eph. 2. 3 Rom. 7. 17 Iac. 1. 15

Q. Nonne Deus, ob peccatum, tum originale, tum actuale, iratus, nobis indignatur?

R. Mirum in modum, & tremendâ maledictione utrumque persequitur, cladibus innumeris in hoc sæculo, & igne infernali in sæculo futuro. Gal. 3. 10 Rom. 6. 23 Rom. 5. 14 Mat. 25. 41

De Hominis liberatione.

Q. AT quomodo nos ex infinita hac miseriæ abyssô exempti & liberati sumus?

R. Solâ *Dei* misericordiâ gratuitâ in Christo Iesu, qui datus est a Patre, ut nobis fieret sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio. 2 Tim. 1. 9 Eph. 2. 5 1 Cor. 1. 30

De

De Christo mediatore, & primùm de eius persona.

Q. Visnam, quæso, est Iesus ille Christus, cujus beneficio tantam consequimur liberationem?

Phil. 2. 6
Heb. 2. 14
Heb. 4. 15
Heb. 7. 26

R. Est ille quidem filius Dei, qui in una persona, verus Deus est, æqualis Patri, & verus homo, nobis per omnia similis, excepto peccato.

Q. Quomodo eum in symbolo confiteris esse Deum?

Ioh. 14. 1
Ier. 17. 5
Ioh. 2. 18
Rom. 1. 4
Ioh. 10. 17 18.

R. Deum esse confiteor, cùm profiteor me in illum credere, cùm pronuncio eum esse unigenitum seu naturalem æterni Patris filium, & cùm è mortuis eum propriâ virtute surrexisse assero.

Q. Quî confiteris illum esse hominem?

Gal. 4. 4
Luc 23. 24

R. Cùm affirmo eum natum ex muliere, & ex judicis sententiâ mortis supplicio affectum.

Q. Quî confiteris purum fuisse, & expertem peccati?

Luc. 1. 35

R. Cùm conceptionem ejus non consueto

consueto naturæ ordini, sed sancto Spiritui attribuo.

Q. *Quare oportuit eum esse immunem à peccato?*

R. Quia talis nos decebat mediator & pontifex, pius, innocens, impollutus, & segregatus à peccatoribus: qui verò peccator est, is ipse opus habet mediatore. Heb. 7. 26 Deut. 4. 24. 1 Pet. 1. 15

Q. *Quare oportuit eum esse & Deum & hominem?*

R. Oportuit esse hominem, ut pro nobis hominibus moreretur; & Deum, ut mortem moriendo superaret, & nobis, qui in eum credimus, vitam æternam impertiret. Heb. 2. 14, 15. Rom. 1. 4 Ioh. 5. 21 Ioh. 17. 22

Q. *Quare dicis & Deum esse & hominem in una persona?*

R. Quia æternum Dei Filium in admiranda illa conceptione, non personam, sed naturam hominis in unitatem suæ personæ assumpsisse certum est. Heb. 2. 16. 1

Q. *Quomodo ergo nobis considerandæ sunt duæ naturæ in una persona Christi?*

1 Pet. 3. 18
Act. 20. 28
Gal. 4. 4
Joh. 3. 13
1 Tim. 3 16
Rom. 1. 3, 4
1 Pet. 3. 18

R. Absque confusione naturarum, aut divisione personæ.

Q. Cur negas confusionem naturarum?

R. Quia divina & humana in Christo natura, tum essentiâ, tum proprietatibus essentialibus permanent distinctæ.

Q. Cur negas divisionem personæ?

R. Quia Iesus Christus est filius Dei, & filius hominis, & tamen persona una, quum humanitas non à seipsa, sed ab æterno Sermone, seu Dei filio, habeat, quòd subsistat.

Joh. 2. 14

(a) 1 Tim. 2. 5
(b) Mat. 1. 21
(c) Eph. 1. 22
(d) Joh. 5 22.
Heb. 1. 6
Revel. 5 12, 13, 14
(e) Joh. 14 1.
(f) Act. 7 59.

Q. Nonne ergo personalis hæc unio humanæ naturæ cum æterno Dei Filio magnopere facit ad gloriam humanitatis Christi?

R. Maximopere. Hinc enim est, quòd in utraque natura, id est, qua Deus est, & homo conjunctim, est [a] Mediator, [b] servator, & [c] caput Ecclesiæ, [d] adorationis, [e] fidei, & [f] invocationis objectum.

De

Q. *Nunc de Christi officio agamus: Dicito igitur, primum, cur appellatus eum Iesum, id est Servatorem?*

R. Iesus dictus est, *hoc est* Servator, quia populum suum servat à peccato & morte, eique justitiam & vitam largitur æternam. Mat. 1. 22. Heb. 2. 14, 15. Joh. 3. 16. Jer. 23. 6. Iolt. 10. 28.

Q. *Totam igitur nostram salutem ab eo manare, & in illo totam esse credis?*

R. Credo: nam testatur Scriptura, in eo esse omnem plenitudinem, & nos in eo completos esse, & in alio quovis salutem nullam esse. Col. 1. 19. Col. 2. 3. Act. 4. 12.

Q. *Dic etiam cur appellatur Christus, id est unctus.*

R. Quia à Patre unctus, id est designatus, donisque instructus est, ut sit nobis Propheta, Sacerdos, & Rex. Iolt. 6. 27. 1 Pet. 1. 20. Isa 61. 1. Joh. 3. 34.

Q. *In quem finem constitutus est Propheta?* Joh. 1. 16.

R. Ut universum Dei consilium, & voluntatem de nostra salute nobis revelaret. Deut. 18. 18. Joh. 1. 18. Joh. 15. 15. Joh. 16. 13, 14.

Q. *In quem finem constitutus est Sacerdos?* Isa 61. 1. 1 Pet. 3. 19.

R. Vt suiipsius sacrificio semel oblato, nos in gratiam cum Deo reduceret, & jugiter pro nobis apud Patrem intercederet.

Heb. 9. 26
Heb. 7. 25
(a) Iac. 2. 8
Iac. 4. 12
Rom. 3. 27
Mat. 28. 20
(b) Hebr. 10. 16
Act. 16. 14
(c) Deut. 33. 29.
Psal. 119. 114.
(d) 2 Tim. 4. 8
Ioh. 10. 28
(e) Psalm. 110. 1.

Q. *In quem finem constitutus est Rex?*

R. Vt ferret (a) nobis legem regiam, fidei & vitæ regulam: ut (b) corda nostra in legis suæ obsequium inflecteret, ut (c) invicto patrocinio nos protegeret; ut (d) munificâ mercede nobis subditis suis consuleret, & (e) hostes suos, ceu scabellum pedum suorum pessundatos, protereret.

Q. *Cur Dominum appellas nostrum?*

R. Quia liberavit nos à potestate tenebrarum, & sibi ipsi peculiarem populum vendicavit.

Col. 1. 13
Tit. 2. 14
1 Pet. 2. 9

De officii executione.

Q. *Quomodo perfunctus est hâc nostri liberatione?*

Phil. 2. 7, 8, 9
Eph. 4. 9

R. Per humiliationem, & exaltationem suam.

Q. In

Q. In quibus sita est Christi humiliatio?

R. In incarnatione & passione. Ibid.

Q. Quæ complectitur incarnatio?

R. Conceptionem, & nativitatem. Mat. 1. 20, 21, Luc. 1, 35

De *Christi* passione.

Q. QVÆ *complectitur passio?*

R. Anxietates omnes vitæ, & mortem ipsam, præcipuè. Phil. 2, 8, 9

Q. Sub quo Judice mortem passus est?

R. Sub Pontio Pilato, Præside romano.

Q. Cur eò se demisit, ut damnaretur à mortali homine?

R. Vt nos absolveremur ab immortali Deo. Rom. 5. 18, 19.

Q. In qua natura passus est?

R. In humana sola, divina enim natura planè ἀπαθὴς est, nec ulli passioni obnoxia. 1 Pet. 3, 18 Jac. 1, 17

Q. In qua parte humana natura passus est?

R. Et in corpore, & in anima.

Q. Quid

Q. *Quid passus est in corpore?*

R. Crucifixus est, ut (a) ostenderet se pro nobis subiisse maledictionem legis, mortuus (b) est, ut nos à morte liberaret, & (c) sepultus est, ad majorem mortis suæ certitudinem, & resurrectionis gloriam.

(a) Gal. 3 13
(b) Heb. 2 14
(c) Rom. 1. 4

Q. *At qui asseris illum nos à morte liberasse, cum constitutum sit omnibus hominibus semel mori?*

R. Mors nostra non est satisfactio pro peccato, sed peccati in nobis abolitio, & transitus ad vitam æternam.

Heb. 9. 17
2 Cor. 5. 8
Rom. 6. 7
1 Cor. 15. 26
Phil. 1. 23
Rev. 14. 13

Q. *Quid passus est in anima?*

R. Ineffabilem sensit tristitiam & anxietatem, ex sensu iræ & maledictionis, nobis debitæ, sibi incumbentis: unde cum clamore valido erupit in lamentabilem illam querimoniam, *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me.*

Matth. 26 37, 38, 39.
Matth. 27 46

Q. *Quem fructum percipimus nos ex passione ejus?*

R. Credo eum omnes, tum animæ, tum corporis miserias, & cruciatus pro nobis subiisse, ut animas, corporaque

Gal. 3. 13
1 Pet. 3. 18
2 Cor. 5. 21
1 Cor. 6. 20

raque nostra, ab æternis cruciatibus, qui nobis ob peccata nostra incumbebant, liberaret.

2. *Sed quî consentaneum esse potuit justitiæ divinæ, ut ille pro peccatis nostris*, id est, *justus pro injustis pœnas lueret.*

R. Dominus Iesus, obses, & fidejussor noster, ex Patris consilio, peccata nostra in se volens transtulit, eaque in suo corpore pertulit super lignum, sic factus ipse victima Patri acceptissima. 1 Pet. 2. 24 2 Cor. 5. 21

2. *At quî potuerunt passiones ejus, brevi tempore finitæ, nos ex infinito & sempiterno supplicio eximere?*

R. Passiones ejus licet temporis finitæ, dignitate tamen & pretio infinitæ censendæ sunt, quia unigeniti Filii Dei passiones fuerant. 1 Pet. 1. 18 19 Act. 20. 28

De Christi exaltatione.

2. DE Humiliatione hactenus, nunc perstringe gradus Exaltationis.

R. Gra-

R. Gradus exaltationis Christi tres sunt; resurrectio à mortuis: ascensio in cœlum, & sessio ad dextram Dei Patris.

Q. Quid fructus nobis redit ex resurrectione?

(a) Hos. 13. 14. Heb. 2. 14. Rom. 1. 4. (b) Rom. 4. 25. (c) Rom. 6. 4. (d) Rom. 8. 11.

R. Resurrectione suâ Christus victoriam (*a*) suam de morte demonstravit, justitiam (*b*) morte partam nobis communicat; ad (*c*) vitæ novitatem nos excitat; & (*d*) de resurrectione nostri certissimè fidem facit.

Qu. *Quorsum autem ascendit in Cœlos?*

(a) Joh. 14. 3. (b) Rom. 8. 34. (c) Col. 3. 2. (d) Phil. 1. 23. Luc. 23. 42. (e) Thes. 4. 17.

R. Ut (*a*) illic locum nobis pararet; ut (*b*) illic pro nobis apud Patrem intercederet; utque (*c*) nos, in vitâ affectibus, in (*d*) morte animis, & in (*e*) resurrectione etiam corporibus, eum vitæ ducem sequeremur.

Qu. *Quid sibi vult sessio Christi ad dextram Dei?*

(a) 2 Reg. 2. 19. (b) Mat. 28. 18.

R. Hac loquendi formulâ, (*a*) ab humana consuetudine translata, innuitur à (*b*) Patre cum rebus omnibus

bus præfectum; ut (e) caput esset Ecclesiæ, & (d) mundi judex. (e) Eph. 1. 22

Qu. *Quem fructum percipimus nos ex gloria illa Christi, Capitis nostri?* (d) Act. 17 31

R. Christi hæc gloria nostræ glorificationis pignus est, imò tota refertur in nostram utilitatem: Nam cum ascendit in sublime, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus: ascendit autem, ut impleret omnia, & jam per Spiritum suum sanctum nos implet sua gratia, quam effudit in nos copiose. Rom. 8. 11 Eph. 4. 8, 10 Eph. 1. 23 Joh. 14. 3. Tit. 3. 6

Qu. *At quo tandem tempore hæc Domini nostri gloria toti mundo manifesta & conspicua futura est?*

R. In extremo illo die, quo venturus est ad judicandum vivos & mortuos. 1 Thes. 4. 15, 16 2 Thes. 1. 7, 8.

Qu. *Quid de illis fiet, qui in illo die in vivis reperientur?* 1 Pet. 4. 5.

R. Mutabuntur, atque illis mutatio illa instar mortis, & resurrectionis futura est. 1 Cor. 15. 52

De

Qu. *PEr quem autem applicatur nobis redemptio hæc, Servatoris nostri humiliatione, & exaltatione partâ?*

1 Pet. 1. 21
Eph. 1. 13
Gal. 5. 5

R. Per Spiritum sanctum in nostri sanctificatione.

Qu. *Cur verba tertia Trinitatis personæ peculiariter Spiritus appellatur, cùm Deus, & Pater, & Filius Spiritus sit?*

Ioh. 4. 24
2 Cor. 3. 17
Ioh. 15. 26
Rom. 8. 9
Gal. 4. 6

R. Spiritus dicitur tertia Persona, à proprietate sua personali, quoniam à Patre, & á Filio, tanquam communis utriusque Spiritus, modo nobis ineffabili procedit & emanat.

Qu. *Quare etiam peculiariter appellatur Sanctus, cùm sanctitas sit essentialis Dei proprietas, ideoque omnibus sanctæ Trinitatis personis communis?*

Isa. 6. 3
Ios. 24. 19
1 Cor. 6. 11

R. Dicitur sanctus, non a proprietate essentiali; sed ab effectu, quia sanctificationem nostri immediatè operatur.

De

Qu. *A quos pertinet redemptio hæc, quam Christus per Spiritum suum sanctum applicandam acquisivit?*

R. Ad sanctam Ecclesiam Catholicam, & singula ejus membra. Ioh. 17. 20 21, &c. Act. 13. 48

Qu. *Quænam est illa Ecclesia catholica?*

R. Universus cœtus fidelium, quos Deus in Christo elegit ad vitam, ante jacta mundi fundamenta. Heb. 12. 23 Ephes. 1. 4 Rom. 9. 23 24

Qu. *Cur sanctitatis titulo Ecclesiam adornat?*

R. Quia quicunque est verum Ecclesiæ membrum, (a) sancta vocatione à mundo (b) segregatus est, ut sit sanctus (c) Domino; quia vestitur perfecta (d) Christi sanctitate; & renovatur (e) ad imaginem Dei, in sanctimonia veritatis; inchoata (f) quidem in hoc sæculo, & perficienda demum in sæculo futuro. (a) 2 Tim. 1. 9 (b) Iohan. 17. 9 Ioh. 14. 26 (c) 1 Pet. 1. 15 Deut. 14. 2 1 Pet. 2. 9 (d) Gal. 3. 27 Eph. 1. 10 (e) Eph. 4. 24 (f) Eph. 5. 25, 26

Qu. *Cur appellatur Catholica?*

R. Quia universum electorum & fidelium numerum, omnium gentium, 1 Cor. 1. 8 Phil. 1. 6

um, temporum, & locorum complectitur.

Qu. *Quæ sunt partes Ecclesiæ Catholicæ?*

Eph. 6. 12 2 Tim. 4. 7, 8. R. Ecclesia in terris militans, & Ecclesia in cœlis triumphans.

Q. *An non verò ecclesia in terris militans, & per omnes gentes sparsa, Catholica appellari potest?*

R. Potest. Et Ecclesia Christiana Deut. 4. 7, 8 antiquitus hoc nomine notabatur, ut à Synagoga Judeorum, quæ uni loco Rom. 9. 23, 24 & populo fuit alligata, distingueretur. Heb. 12. 23 Hic verò, in symbolo, totus Electorum cœtus, Ecclesia universalis dicitur, idque magis propriè quam universalis dici poterit aliqua ejus pars.

Qu. *Quare non dicis*, Credo in Ecclesiam, *sicut ante dixeras*, Credo in Deum?

Mat. 4. 10 Ier. 17. 5 Psal. 146. 3 1 Tim. 6. 17 R. Quia hunc honorem sibi proprium Deus vendicat, ut in eum credamus.

Qu. *At cur dicis te credere Ecclesiam?*

R. Quia

R. Quia fides est demonstratio eorum quæ non videntur. Et Ecclesia hæc, quam credimus, mortalibus oculis videri non potest, utpote quæ cœtus sit electorum Dei, qui soli Deo cogniti sunt. Heb. 11. 1 Rom. 2. 29 2 Tim. 2. 19

Qu. *Quam ergo appellim Ecclesiam visibilem?*

R. Particularem quemvis cœtum fidem Christi alicubi profitentium. Psal. 22. 22 Rom. 16. 15

Q. *An omnes ergo cœtus seu congregationes fidem Christi profitentium, visibiles Christi Ecclesia censendæ sunt?* Ioh. 10. 27

R. Sanè, in quibus Dei verbum prædicatur, Sacramenta administrantur, & Deus, ex verbi sui præscripto colitur. Rom. 10. 17 Mat. 28. 18, 19, 20. Act. 2. 41, 42.

Qu. *An omnes ejusmodi Ecclesiæ, æquè puræ, sanæ, & integræ sunt?* Ioh. 4. 22

R. Nequaquam. Sicut enim doctrinæ & cultus puritas gradus admittit, ita Ecclesiæ illæ puriores, & saniores censendæ sunt, ubi illa puriora, *id est*, Dei verbo magis conformia & consentanea reperiuntur. Gal. 3. 1, 2. &c. Gal. 4. 9, 10, &c. Heb. 4. 5

Q. *An*

Qu. *An omnes homines, qui sunt ex visibili aliqua ecclesia, membra etiam sanctæ illius & catholicæ Ecclesiæ, quam credimus, censendi sunt?*

Mat. 13. 47, &c. Rom. 9. 27 Rom. 2. 27, &c. Mat. 20. 16

R. Nequaquam. Sunt enim in visibili quaque ecclesia electi & reprobi, boni & mali, qui exterius fidem profitentur, externè scilicet vocati, per verbi, & sacramentorum ministerium

De Ministerio, & clavium potestate.

Q. *Ad quos spectat verbi, & Sacramentorum ministerium?*

(a) Matt. 28. 18, &c. Rom. 10. 15 Eph. 4. 8, 11 Isa. 50. 4 (b) Tit. 1. 5 1 Tim. 5. 22 Act. 6. 3, 4, 5, &c.

R. Ad eos solos, qui à *a*) Christo, ejusque *(b)* Ecclesia, ad sacrum illud munus vocati sunt.

Qu. *Quânam eos potestate instruxit Christus, qui ad sacrum illud munus vocati sunt?*

Mat. 18. 18 Joh. 20. 23

R. Potestate ligandi & solvendi, seu retinendi, & remittendi peccata.

Q. *In quibus sita est hæc potestas?*

R. In

& clavium potestate.

R. In ministerio verbi, sacramentorum, & disciplinæ: quæ ideo claves regni cœlorum appellantur. 1 Cor. 11 27, 29 Mat. 16.19 Luc 11.52

Q. *Quomodo aperitur & clauditur regnum Cœlorum hisce clavibus?*

R Clauditur, dum denunciatur ira Dei contumacibus, & impœnitentibus: aperitur verò, dum annunciatur resipiscentibus remissio peccatorum: & hæc quidem generalius verbi, specialiùs verò sacramentorum, & disciplinæ ministerio præstantur. Ioh. 3. 35 36. Eph. 5. 5 Mar. 16.16 Ioh. 3. 16 Matth. 18 15, 16, 17. 2 Cor. 5. 12 13

Qu. *Quis est finis ministerij hujus in Ecclesia?*

R. Ecclesiæ ædificatio, à scandalis purgatio, & Sanctorum ad Christum aggregatio; ut nimirum in illo bonis illis fruantur, quæ ante tempora sæcularia à pfis præparata sunt. 1 Cor. 5. 6 Eph. 4. 12 Eph. 1. 4, 8

Qu. *Et quænam sunt illa bona?*

R. Communio Sanctorum, & peccatorum remissio, in hac vita; & post corporum resurrectionem, vitâ æterna, in sęculo futuro.

De

De Communione Sanctorum.

Qu. *Quid intelligendum est per communionem Sanctorum?*

1 Joh. 1. 3 Col. 2. 12 Rom. 12. 5 1 Cor. 10. 16, 17, &c. Eph. 3. 6. 17. Philem. 5. 6, 7

R. Societas, & conjunctio illa, quam sanctificati obtinent in Christo, capite suo, per fidem, & inter se, per charitatem.

Qu. *In quibus consistit nostra cum Christo, capite nostro, communio?*

Cant. 6. 2 Joh. 15. 4 Col. 1. 24 1 Cor. 1. 30 Jac. 17. 19

R. In eo quòd Christus noster sit, & nos Christi; quòd Christi passio sit nostra satisfactio, & quòd nostra etiam sint beneficia quæcunque passione ejus comparata.

Qu. *In quibus posita est nostra cum Sanctis, seu cum corpore Christi communio?*

1 Cor. 12. 26 Rom. 12. 15 Eph. 6. 18 19. Act. 4. 32 Rom. 12 Phil. 2. 4

R. In eo, quòd unius fidei simus baptismatis & spei, quòd simul cum iis gaudeamus, & doleamus; quod alii pro aliis oremus; & quòd singuli dona in se divinitus collata, in communem totius corporis utilitatem referant, & extendant.

De

De remissione peccatorum, & de iustificatione.

Qu. *Quid appellas peccatorum remissionem?*

R. Eodem (a) sensu justificatio dicitur: & (b) nihil est aliud, quam actio Dei, quâ ex (c) gratuita sua misericordia, absque nostro merito, nos ita justos (d) deputat, & pronunciat, ac si nunquam peccassemus, idque propter solam Christi (e) obedientiam, & justitiam, quæ nobis per (f) fidem imputatur.

Qu. *Asseris ergo fidem* (g) *esse organum illud, quo Christi justitiam, propter quam justificamur, apprehendimus; totumque* (h) *meritum justificationis nostræ in Christi justitia, non in nostra* (i) *ejus apprehensione, residere?*

R. Ita censeo, & ita credo firmiter.

(a) Rom. 4,5,6,&c.
(b) Rom. 8.33. Mat. 9.8
(c) Tit. 3. 5, 6, 7. Rom. 3. 20 24, 28
Phil. 3. 9
(d) 2 Cor. 5. 19. Rom. 4.5, &c. Mich. 7.19 Isa 38. 17. Jer. 31. 34
(e) 2 Cor. 5. 21. Rom. 5. 19 Isa 53. 5
(f) Gal. 3. 14. Act. 26. 18
(g) Rom. 3. 22. Rom. 5. 1. Phil. 3. 9.
(h) Rom. 5. 19
(i) Rom. 3. 24, 28

De resurrectione carnis, & ultimo iudicio.

Q. *CVr autem beneficiis per Christum in Ecclesiam collatis resurrectionem corporum annumeras, cum reprobi etiam resurrecturi sint?*

R. Corporis resurrectio non improbis, sed justis solummodo beneficium futurum est.

2 Cor. 5. 10. Joh. 5. 28, 29. Revel. 20. 12, 13.

Qu. *Cur non est improbis resurrectionis beneficium futurum?*

R. Quia resurrectionis primæ (quæ Rev. 20. 6 est in hac vita, & à peccato) participes non sunt.

Qu. *Quid inde consequitur?*

R. Inde est, quod in die judicii, peccatis, dedecore, & mærore cooperti resurgant, Christi potentia coacti sepulchris egredi, & coram irato mundi Judice se sistere, ut, justâ damnationis sententiâ auditâ, ad inferos detrudantur, ubi miserrimos æterni ignis cruciatus in æternum sustinentes torqueantur. Matth. 25 Dan. 12. 2

Qu. *Et quid causæ est, cur Sanctorum*

rum resurrectio ipsis tantopere in bonum cedat?

R. Quia in hac vita partem habent in prima resurrectione, secunda mors in illos potestatem non habet. Rev. 20.6

Q. *Quomodo igitur affecti, & in quem finem excitantur illi?*

R. Excitantur gloriâ & gaudio perfusi, vivificati quidem Spiritu Christi, capitis sui gloriosi, ut ad ejus dextram consistentes, letâ absolutionis sententia audita, in vitæ æternæ possessionem continuò mittantur. Mat. 13.43 Mat. 25.24 2 Tim. 4.8

(a) Eph. 4. 18. 23 Ioh. 17.2 Col. 3.10 (b) 2 Tim. 4.8. 1 Ioh. 3.2 Col. 3.3.4 Psal. 16.11 Isa. 60.18.19 Phil. 3.21 1 Cor. 1.9 Ioh. 17.24 (c) 1 Cor. 15.28

De vita æterna.

Q. *Quid apellas vitam æternam?*

R. Vitam (a) illam Dei quæ in anima mea jam per gratiam inchoata, & in æternum (b) posthac in perfecta corporis & animæ felicitate continuanda est, cum Deus (c) omnia in omnibus futurus est.

De particulari fiducia.

Q. *Crediſne beneficia hæc, de quibus verba fecimus, ad te ſingulariter ſpectare?*

Mar. 9. 24 R. Imò, per Dei gratiam, ſic credo, & Deum precor, ut incredulitati meæ ſuccurrat gratioſè.

Qu. *Quo pacto perſuaſum habes ea ad te particulariter attinere?*

(a) Ioh. 3. 16. R. Ex [a] Evangelio novi ea ſpectare ad omnes credentes, & cum ipſe [b] me credere ſciam, quemadmodum in ſymbolo profiteor, quid eſt quòd [c] dubitem, beneficia illa omnia ad me etiam particulariter ſpectare?

(b) 2 Cor. 4. 13 1 Cor. 2. 11 12. Rom. 8. 16

(c) 2 Tim. 4. 8. Q. *Sed an ex te eſſe putas, quod iſta credas?*

R. Nequaquam. Ex Spiritu ſancto eſt, qui ideo dicitur Spiritus fidei, Spiritus promiſſionis, ſigillum Dei, Teſtis Dei in nobis habitans, & Arrha ſeu pignus hæreditatis noſtræ.

Eph. 2. 8 2 Cor. 4. 13 Eph. 1 13, 14. Rom. 8. 15 16.

De

De fœdere Dei.

Qu. *QVum per fidem Spiritus sanctus te Christi, & in eo remissionis peccatorum, ac vitæ æternæ participem faciat, cupio ex te audire, quo medio seu instrumento hanc in te fidem operetur?*

R. Verbo fœderis seu testamenti. Rom.10.17 Rom.1.16 1 Cor.1.21 Ioh.20.31

Q. *Quid appellas verbum fœderis seu testamenti?*

R. Scripturam Propheticam & Apostolicam veteris & novi Testamenti libris exaratam. Exod.24.7.& 34.28 2 Cor.3.6 14.

Qu *Cur verbum fœderis seu Testamenti appellatur?*

R. Quia præcipua & penè unica in verbo scripto explicata materia, est fœdus Dei; quod & Testamenti nomine appellatur, quia Iesu Christi testatoris morte obsignatum est. Gen.17.12 Lev.26.12 Act.3.24, 25. Heb.9.19

Q. *Quodnam est illud fœdus, quod præcipuum est, & penè unicum verbi Dei argumentum?*

R. Fœdus illud gratiæ & pacis, quod Deus ex mera sua gratia pepigit cum homine post ruptum illud Gen.3.15 Act.26.23 Ioh.8.56 Rom.3.21

fœdus

fœdus operum, seu naturæ; quod iniit
Rom. 4. 23 24. cum homine Deus in creatione.

2 Tim. 1. 9, 10. Qu. *Cur operum seu naturæ fœdus appellas quod iniit cum homine Deus in creatione?*

R. Quia in eo pollicitus est homini Deus æternam felicitatem & vitam; hac conditione, si permaneret
Gen. 2. 17 Gal. 3. 12 ipse in operibus obedientiæ, secundum integritatem naturæ suæ, in qua fuit conditus.

Q. *An potest quispiam hominum jam vitam adipisci per fœdus illud, quod primò pactum est cum Adamo?*

R. Ne unus quidem: nam violando conditionem illius fœderis, Ada-
Rom. 3. 20 Gal. 2. 16 mus non solùm semetipsum & posteros vitâ in fœdere pollicitâ privavit,
Gal. 3. 11 & 21. Rom. 8. 3 sed & planè impotentes reddidit ad præstandam fœderis conditionem.

Qu. *Quorsum igitur nunc nos urget Deus non leviore quàm maledictionis suæ interminatione, ad implendam impossibilem illam perfectæ obedientiæ conditionem?*

R. Ut

R. Ut innotescat nobis quid Deo debeamus, ut peccati malitia appareat, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei; atque ita cogatur quisque ad Christum confugere, & in eo, ex fœdere gratiæ, conquiescere. (a) Luc. 17. 10 (b) Rom. 7, & 13. (c) Rom. 3. 19. (d) Rom. 10. 4. Gal. 3. 22, 23, 24.

Q. Quid nobis promissum est in fœdere gratiæ?

R. Remissio peccatorum, nova justitia, & vita æterna. Heb. 8. 8, 9 Heb. 9. 12, & 15. Dan. 9. 24 Ioh. 3. 16

Qu. Quâ conditione hæc facta nobis est promissio? Ioh. 13. 17

R. Sub conditione fidei, & obedientiæ ex fide. Gal. 6. 16. Rom. 1. 5

Q. Cur autem fœdus gratiæ appellatur, cum promissio in eo non sit facta gratuitò, sed sub conditione à nobis præstandâ? (a) Genes. 3. 15. Eph. 2. 7. 8 (b) Tit. 2 12.

R. Quia non tantum ex mera gratia, cum homine post lapsum hoc fœdus Deus ferit, sed & ex eadem gratia donat cum Christo, fœderis Mediatore, & fide in eum, ad implendam fœderis conditionem. Isa. 9. 6 1 Ioh. 4. 9 (c) Heb. 9. 15. Isa. 42. 6 (d) Phil. 1 29. Eph. 2, 8

Q. Cur

2. *Cur pacis fœdus appellatur?*

R. Quia finis ejus est pax & reconciliatio cum Deo.

Eze. 37. 26 Eph. 2. 14 2 Cor. 5. 18, 19

2. *Fuerantne Patriarchæ & Prophetæ hujus fœderis virtute olim servati?*

R. Non aliâ, quàm hujus fœderis virtute adepti sunt salutem: fuit enim Iesus Christus agnus jam inde à jactis mundi fundamentis immolatus.

Joh. 8. 56 Rev. 13. 8

2. *Hoc clariore eget explicatione.*

R. Non tantùm ab æterno decrevit Deus Christum moriturum, sed & ab origine mundi mortem ejus, verbis & figuris repræsentatam, efficacem fecit ad servandos credentes, qui diem ejus fidei oculis, quantumvis eminus, intuebantur.

Gal. 3. 8 Joh. 8. 56

Qu. *An igitur nos eodem quo illi, fœdere consequimur salutem?*

R. Eodem: est enim Iesus Christus heri, hodiè, & in æternum idem: hoc est, quotquot unquam servati sunt, nunc servantur, aut in consummationem mundi salutem consequentur, acceptam eos Christo salutem ferre oportebit.

Heb. 13. 8 1 Cor. 10. 3 Mar. 16. 16

De

De distinctione veteris, & novi Testamenti.

Qu. *NVllumne igitur discrimen statuis inter vetus, & novum Testamentum?*

R. Discrimen quidem est, verùm non in substantia fœderis; est enim utrumque de salute obtinenda per Christum, unicum fœderis æterni fundamentum, & Mediatorem. Act. 15. 11

Q. *Quomodo igitur distinguuntur?*

R. Circumstantiis duntaxat, & administrationis ratione: nam in veteri Testamento fœdus operum, seu legis impletio multùm, & vehementer urgebatur: Christusque promissus, legalibus cæremoniis velatus & adumbratus obscurè proponebatur: in Novo gratia cum Christo misso, & post morte partam mortis victoriam, ad dextram Dei exaltato, copiosissimè, & clarissimè offertur. Heb. 10. 1 2 Col. 2. 17 Heb. 9. 11 Rom. 12. 9

Qu. *Videtur ergo salus homini, nunc, sub Evangelio, obtingere non posse, nisi per fidem in CHRISTVM incar-*

incarnatum, crucifixum, & glorificatum?

Act. 4. 12
Mat. 16. 16

R. Est id quidem certissimum.

Q. *Quid si quis fertur unus, per legis opera, aut per Christum quasi promissum tantùm, nec dum exhibitum salutem quærat, & novi fœderis conditionem obstinatè respuat?*

Gal. 3. 10
Heb. 10. 26
Joh. 3. 18, & 36.

R. Miserrimus ille sub maledictione est, nec pro peccatis ejus reliqua est hostia; sed ira Dei manet super eum.

De Sacramentis in genere.

Qu. HÆC, *quæ recitè dicta sunt, impellere nos debent, ut fidei porrò confirmationem quæramus: proinde, quemadmodum docuisti, unde, & quo medio fidem assequamur; dic etiam, quæso, quibus mediis eadem confirmetur?*

(a) Heb. 12. 2.
2 Cor. 1. 8

R. Dominus Iesus Christus, qui Author est, & Perfector fidei nostræ, per

per [b] Spiritum suum eam alit & confirmat, eodem [c] quo generatur, fœderis verbo; [d] nec non Sacramentis,

(b) Eph. 5. 13.
2 Cor. 4. 13
(c) Rom. 2. 17.

Q. *Quid est Sacramentum?*

1 Pet. 3. 2.

R. Est signum & sigillum, à Deo institutum, visibile, quo promissionem gratiæ in verbo fœderis propositam, fœderatis suis obsignat, eosque vicissim ad fœderis sui præstationem obstringit.

Act. 20. 32
(d) Rom. 4. 11.
1 Cor. 10. 16
Gen. 17. 11
Mat. 28. 19
1 Cor. 11. 23, &c.

Qu. *Quibus præcipue Sacramentis fœdus suum Deus sub vetere Testamento obsignavit?*

1 Cor. 10. 14, 15, 16.

R. Circumcisione, & Agno Paschali.

Gen. 17.
Exod. 12

Q. *Quibus sub novo?*

Mat. 28. 19
1 Cor. 11. 23, &c.

R. Baptismo, & cœna Domini.

De Baptismo.

(a) Rom. 6. 3, 4, 5. Col. 2. 12

Qu. *Quid est Baptismus?*

(b) Eph. 5. 26 Joh. 3. 23. Act. 8. 36, 38.

R. Est Sacramentum (*a*) initiationis, seu incorporationis meæ in Christo: corpus (*b*) aqua mergendo, lavando, vel aspergendo, (*c*) in

(c) Act. 22. 16.

nomine

Mat. 28.19 (d) 1 Joh. 1.7. (e) Joh. 3 5 nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, obsignans spiritualem animæ lotionem à reatu & sordibus peccatorum, in (d) sanguine, & (e) Spiritu Iesu Christi.

Qu. *Quid intelligis per lotionem in sanguine Iesu Christi?*

Rom. 5.9 Rom. 6.3. *R.* Remissionem peccatorum ex merito mortis ejus.

Q. *Quid intelligis per lotionem in Spiritu Iesu Christi?*

Joh. 3.5. Tit. 3.5 Mat. 3. 11 *R.* Renovationem cordis, virtute & efficaciâ Spiritus ejus.

Qu. *Existimas igitur Baptismum esse tibi Dei sigillum, quo & fides tua de peccatorum remissione amplius confirmatur, & cordi tuo sanctificationis character altiùs imprimitur?*

R. Quamvis illud, cùm baptizarer, intelligere non potuerim, utpote qui infans fuerim; nunc tamen, Rom. 4.11 Tit. 3.5 Dei gratiâ, non tantùm fidem meam magis confirmari, sed & cor meum ulterius renovari Baptismi mei virtute sentio.

Q. *Et*

Qu. *Et cur baptizantur infantes Christianorum?* Matth. 19, 14, 15

R. Quoniam ad eos & eorum liberos pertinet fœderis promissio. Act. 2. 38, 39 Gal. 3. 7. 10

De cœna Domini.

Qu. *Quid est cœna Domini?*

R. Est Sacramentum, quo spiritualiter in Christo nutrior, & adolesco. Joh. 6. 50, 51. Ephes. 4. 13, 15

Qu. *Quomodo confirmat cœna Domini fidem tuam in promissionem fœderis?*

R. Dum per eam persuasum fit mihi, quòd quemadmodum corpus meum cibo & potu, ita anima mea Iesu Christo vescitur & augescit. 1 Cor. 10. 16. 1 Cor. 11. 23, &c.

Q. *Quæ sunt externa signa cœnæ Sacramento?*

R. Signa sunt, primùm elementa ipsa, panis & vinum; deinde ritus & actiones Sacramentales, fractio, fusio, datio, acceptio, esio, & potio.

Qu. *Quid repræsentatur & obsig-*

natur

natur nobis per elementa, & actiones istas?

R. Iesus Christus, ejus crux seu
1 Cor. 10. 16
2 Cor. 11. 24 passio, & beneficia; necnon nostra cum ipso, ejus cruce, & beneficiis communio.

Q. *Quid ergo sunt panis & vinum in cœna Sacramento?*

R. Sunt corpus & sanguis Domini.

Q. *Mutantur ne panis & vinum in corpus & sanguinem Domini?*

R. Nequaquam; sed res Sacra-
1 Cor. 11. 28 mentorum terrenæ & palpabiles usum mutant, non substantiam.

Q. *Sunt ne tamen verè Christi corpus & sanguis?*

R. Ita credo, quia Christus qui est
1 Cor. 11. 24
Ioh. 14. 6 ipsa veritas, ita dixit.

Q. *Persuasum habeo videre panem & vinum in sacra synaxi esse corpus & sanguinem Domini, sed nunquid etiam tam certò perspectum habes modum & rationem, quatenus fiant?*

R. Sanè hoc mysterium est, in quo
1 Cor. 4. 6 non decet sapere ultra illud quod

scriptum

scriptum est, sed quantum ex Dei verbo discere potuerim, ita dici credo, quia per ea Domini corpus & sanguis non tantum repræsentantur, sed & offeruntur, & credentibus vere exhibentur. 1 Cor. 11

Q. *Hinc constare videtur, quod manducemus corpus, & bibamus sanguinem Christi; non tantum spiritualiter, firmiter credendo, quod pro nobis corpus ejus fractum sit, & sanguis effusus, sed & sacramentaliter seu mystice, in Cœna corpus ejus & sanguinem participando.* Ioh. 6. 1 Cor. 10 1 Cor. 11

R. Clarissime: cum mensa Domini est communio corporis & sanguinis Christi: quam participantes corpus ejus manducamus, & sanguinem bibimus, mystice & sacramentaliter, in unum cum eo fimus spiritus, & unum corpus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus; nam spiritualis hæc communio illius Sacramentalis finis est. 1 Cor. 10. 16 1 Cor. 6. 17 1 Ioh. 4. 13 Eph. 5. 30

Q. *Cum de Elementis tam satis dictum sit, superest, ut Actiones illas sacras explices; dic ergo primum*

quid

quid sibi velint fractio panis, & vini effusio?

1 Cor. 11. 24, 25. Mar. 16. 28 Isa 53. 5

R. Ita nobis ponunt ob oculos passionem Domini, ejusque beneficia ad nos promanantia: nam Christi crux & beneficia nullo modo debēt separari.

Q. *Quid verò sibi volunt datio, acceptio, esio, potio?*

Joh. 3. 16 Gal. 2. 20 Joh. 1. 12 Act. 26. 18

R. Spiritus sanctus Christum, ejus crucem & beneficia, nobis per ea applicat.

Q. *An necesse est, ut omnes istas actiones, & ritus sacros, dum cōmunicamus distinctè & singillatim perpendamus?*

1 Cor. 11. 29 Rom. 4. 11

R. Apprimè necessarium est; si vel notitiam clariorem, vel fiduciam fieri volumus firmiorem.

De præparatione ante *communionem*, & de rectè participantibus.

Q. *Quomodo affectos & præparatos nos esse oporiet, cum ad participandum accingimur*

R. Rectè

R. Rectè participantibus necessaria est, primò * Pœnitentia, quâ peccata nostra, quæ diram Domino mortem accersiverunt, defleamus; deinde fides * quâ peccatorum omnium remissionem, in morte Domini firmiter credamus: tertiò Charitas, * quâ non tantùm cum iis quos læsimus in gratiam redeamus, & iis qui nos læserunt gratis condonemus, sed * & inimicos nostros diligamus, & precemur pro iis, qui nos persequuntur.

(a) Mat. 3. 2. Zac. 12. 10
(b) Act. 8. 36, 37.
(c) Matth. 5. 24. Eph. 4. 32 Col. 3. 13.
(d) Mat. 5. 44.

Q. *Quid si quis piam communicet, cui non sit pœnitentia, fides, & charitas?*

R. Is edens & bibens indignè, reus fit corporis & sanguinis Domini, accersitque sibi condemnationem.

1 Cor. 11. 27. &c.

Q. *An illi qui manifestè se produnt impios, ad sacram cœnam admittendi sunt.*

R. Nequaquam: sed clavibus regni cœlorum ejusmodi homines à sacra synaxi excludi debent, usque dum resipiscant.

Mat. 7. 6 Lev. 10. 10 Num. 5. 2, 3 2 Cor. 10. 2 1 Cor. 5. 5

Q. *Quid si quis, factâ sui examinatione, peccatorum suorum sentiat pondus intolerabile, & gratiæ primitias admodum exiguas, illine sine periculo ad mensam Domini poterit accedere?*

Mat. 11. 28 Mat. 9. 12 Luc. 14. 21 Mar. 5. 6

R. Et sanè uberrimo cum fructu, si modo peccata sua ex animo detestetur, & ad ampliorem perfectionis modum, in Christo Iesu, seriò adspiret.

Pars secunda: de bonis operibus.

Q. *IN principio dixeras veram religionem sitam esse in Fide, & bonis operibus, cùm ergo de Fide satis pro instituto nostro explicatum sit, dic, quæ appelles Bona opera.*

R. Bona opera appello, quæ fiunt ex Fide, ad Dei gloriam, secundum ipsius legem.

Q. *Cur oportet fieri ex Fide?*

Act. 15. 9.

R. Quia, ut principio dictum est, opera

opera nec verè bona esse possunt, nec Deo placere, quæ non fiunt ex Fide. 1 Tim. 1.5

Qu. *Quare oportet ea fieri ad gloriam Dei?*

R. Quia quamvis bona opera facere debeamus, ut [a] fidem, & [b] gratitudinem in Deum ostendamus; ut electionem [c] nostram firmam efficiamus; & ut [d] alii per conversationem nostram Christo lucrifiant; in omnibus [e] tamen aggrediendis præcipuus scopus esse debet, ut Dei gloria celebretur. (a) Iac. 2. 18. (b) Psal. 116, 12, 13 (c) 2 Pet. 1, 10. (d) 1 Pet. 3. 1. (e) 1 Cor. 10. 31. Col. 3. 17

Q. *Quare dicis oportere ea fieri secundum Dei legem?*

R. Quia nullus cultus Deo acceptus est, utcunque nostro judicio rectus, nisi quem ipse exigit seu quem lege mandat & præscribit. Deut. 4. 2 Mat. 15. 9 Lev. 18. 4. Eze. 20. 19

De Lege morali.

Qu. *Quænam est illa Lex Dei, quæ actionibus nostris præscribit, & quâ eas regi, ac niti oportet?*

R. Lex illa moralis, quæ scripta est *Exod.* 20. *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c.

Q. *Quomodo descripta est illa lex?*

R. Duabus tabulis Dei ipsius digito exarata est.

Q. *Quid complectitur prima tabula?*

R. Prima tabula omnia officia Deo debita, quatuor præceptis comprehendit.

Q. *Quæ sunt illa officia Deo debita?*

R. Ut Deum solum colamus, secundum ejus verbum, non nostram voluntatem, ut de ipso, ejus verbo & operibus reverenter, & magnificè cogitemus, & loquamur, & ut die septimo nos ejus cultui publico consecremus.

Q. *Quæ est summa præceptorum primæ tabulæ?*

Mat. 22. 37. 1 Tim. 1. 5

R. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex toto viribus tuis, ex tota anima tua, & tota cogitatione tua.

Q. *Quid*

Q. *Quid complectitur secunda tabula?*

R. Sex præceptis omnia, quæ hominibus debemus, officia præscribit, eaque Charitatis opera vulgò appellantur. 2 Pet. 1. 3, 5, 6, 7. Rom. 13. 9

Q. *Quæ sunt illa?*

R. Ut omnibus modis studeamus juvare, & promovere proximorum [a] honorem, [b] personam, [c] castitatem, [d] rem familiarem, [e] famam, & denique, ne quidquam vel cogitemus, vel appetamus contra proximi honorem, personam, castitatem, rem familiarem, vel nomen, quantumvis nullus accedat consensus voluntatis.

Q. *Quæ est summa istorum sex præceptorum secundæ tabulæ?*

R. Diliges proximum tuum sicut teipsum, seu quæcunque volueritis ut vobis faciant homines, ita vos facite iis. Mat. 7. 12

De

De spirituali potestate, & perfectione Legis.

Q. QUæ sunt legis hujus proprietates; quas scire nostrâ interest?

Rom. 7. 14. Psal. 19. 7. Psal. 119. 96.

R. Hæ nimirum, quibus leges humanas quascunq; superemineat, quòd sit *n.* Spiritualis & Perfecta.

Heb. 4. 12.

Q. *Quare appellas Spiritualem?*

R. Quia ad animam spectat, & ad

(a) Isa. 1. 3. Jer. 4. 22.

omnes ejus facultates.

Q. *Quid ita?*

(b) Rom. 2. 18, 19. 1 Cor. 10. 15. Heb. 5. 14.

R. Mandat intellectui, ut (*a*) omnia officia intelligat, judicio, (*b*) inter bonum & malum discernat,

(c) Exod. 20. 8. Eccl. 12. 1.

memoriæ, (*c*) ut retineat, voluntati ut (*d*) meliora eligat, deteriora

(d) Deut. 30. 19. Jos. 24. 15. 1 Thes. 5. 20.

repudiet, & affectibus, ut (*e*) bonum amore, malum odio prosequantur.

Q. *Cur appellas perfectam?*

(e) Psal. 45. 7.

R. Quia imperat non solùm animæ, sed & (*f*)

(f) Matt. 22. 37.

toti homini; non solùm ut cognoscat, discernat, retineat, velit, & prosequatur bonum; sed etiam, ut (*g*) hæc omnia perfectè præstet: & quia, quemadmodum omne

(g) Jac. 1. 10.

bonum

bonum (h) præcipit, ita & (i) prohibet omne malum.

(h) Phil. 4. 8
(i) Rom. 7. 7.

Q. *At omnia decalogi præcepta, si quartum & quintum excipias; videntur negativa, & malum tantum prohibere?*

R. Etiam illa sub malo expresse vetito, non (k) solùm causas & occasiones ejus prohibent, sed & bonum (l) imperant contrarium.

(k) Mat. 5. 27. Iob 31. 1
(l) Deut. 6. 13. Ephes. 4. 25, 28. 1 Pet. 3. 9, 11.

De hominis impotentia ad implendam legem.

Qu. *Potestne quispiam legem illam, tam perfectam, & numeris omnibus absolutam, per omnia præstare?*

R. Nemo mortalis (a) potest.

(a) Gal. 3. 22. Prov. 24. 16

Q. *Quid ita?*

R. Quia etiam in iis, qui (b) sanctissimi sunt mortalium, caro adversus Spiritum reluctando concupiscit.

(b) Rom. 7. 23. Gal. 5. 17.

Q. *Quantum proficit reluctando?*

R. Tantum

R. Tantùm (c) sanè, ut in multis omnes peccemus; & ut bona opera, quæ facere velimus, vel impediat, vel aliquâ saltem peccati labeculâ contaminet.

(c) Iac. 3. 2 Rom. 7. 19 Iac. 4. 3.

De usu Legis.

Qu. *Hinc consequi videtur nos justificationem, & vitam per legem consequi non posse?*

R. Certissime: Lex (a) enim sancita est hâc interminatione, Maledictus quicunque non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut ea faciat.

(a) Rom. 3. 20 Rom. 7. 28 Gal. 3. 10, 11 Act. 13. 39

Q. *Videtur ergo, Legem nos condemnare posse?*

R. Quemadmodum justificare non potest lex, quia (b) eam non possumus implere, ita nec condemnare potest, quia (c) sumus in Christo, qui pro nobis eam adimplevit.

(b) Rom. 8. 3. (c) Rom. 8. 1 Gal. 4. 4, 5 Mat. 3. 15 Gal. 3. 13 Act. 13. 39

Q. *Quis ergo Legis usus est?*

R. Lex nobis duo præstat, primò nos

nos præparat ad Euangelium, urgetq; ut ad Christum confugiamus, quæramusque vitam in eo, in quo solo inveniri potest. Gal. 3. 22, 33, 34 Rom. 10. 4 Act. 4. 12

Q. *Quomodo illud efficit?*

R. Humiliando animos nostros sub sensu peccati, & sub meru maledictionis divinæ ob peccatum. Gal. 3. 10, 11. Act. 2. 37, 38.

Qu. *Quod est secundum Legis officium?*

R. Postquam per Euangelium in Christo vitam consecutus sum, lex mihi canonem & regulam præscribit conversationis, & gratitudinis meæ erga Deum, ob eximiam ejus in me misericordiam. Tit. 2. 11 &c. 1 Pet. 2. 14 1 Joh. 3. 3

Q. *Quo pacto accepta Deo possunt esse opera, quantumvis toto conamine nitantur ad canonem istum conformare, cùm perfectè bona non sint?*

R. Et persona mea accepta est, & opera Deo grata sunt, in Christo Iesu, per cujus obedientiam perfectam, defectus tum personæ meæ, tum operum meorum tegunturs & condonantur. 1 Pet. 2. 5 1 Joh. 2. 1 Psal. 32. 1

Q. At

Qu. *At quo tandem tempore, & nos, & opera nostra legi per omnia respondebunt?*

2 Pet. 3.13 Rev. 21.4, 27. R. Cùm sanctificatio nostra perfecta, & consummata fuerit in sæculo futuro.

Q. *Quid interea nobis agendum est, donec beatam istam conditionem assequamur?*

1 Thes. 4. 10, &c. Phil. 3.12, 13, &c. 1 Tim. 4.7 R. Oportet nos in-dies indefessè ad perfectionem adspirare, & contendere; nos ipsos exercendo in omni bono opere, præcipuè verò in resipiscentia, & oratione.

De resipiscentia.

Qu. *Quid est resipiscentia?*

Act. 26.18 Hos. 14.2 R. Est conversio nostri à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum.

Q. *An penes nos ipsos est, ut ad Deum convertamur?*

Act. 5.21 Act. 11.18 R. Nequaquam: Dei enim opus est, & donum nostri ad Deum conversio.

Q. *Cur*

Q. *Cur igitur eam annumerat nostris bonis operibus?*

R. Primò, Deus ex mera gratia sua nos convertit, postea verò, nos eadem illâ gratiâ excitati, quasi cum Deo cooperantes, nosmet convertimus, & resipiscimus. Ier. 31, 18, 19.

Q. *Quo medio seu instrumento operatur Deus conversionem nostram?*

R. Verbo Legis & Evangelij. Luc. 24. 47.

Q. *Quo medio seu instrumento, præcipuè, in resipiscentiæ orbitâ continemur?* Mat. 26. 41 Iac. 5. 16. Luc. 18. 1

R. Obnixâ & continuâ oratione.

De oratione in genere.

Qu. *Quid est oratio?*

R. Est invocatio Dei, per Iesum Christum, de iis quæ ad ipsius gloriam, & nostram necessitatem spectant. Psal. 50. 15 Ioh. 14. 6, 24.

Q. *An non licet precibus in auxilium vocare creaturas, ut Angelos & sanctos homines, apud Deum habitantes?*

R. Non

R. Non licet.

Q. *Cur non licet?*

R. Quia Deus nobis imperavit, ut
Mat. 4. 10 Rom. 10. 14 se solum adoremus, & adorationem creaturarum interdixit.

Qu. *Quare precari oportet per solum Iesum Christum?*

R. Quia ille solus est Mediator
1 Tim. 2. 5 Ioh. 14. 6 noster & Intercessor; & nemo accedit ad Patrem, nisi per illum.

De oratione Dominica.

Qu. *Quomodo precari debemus?*

R. Ad perfectum illud precationis exemplar, quod Dominus ipse
Luc. 11. 2 discipulos docuit, cum precamini (inquiens) dicite, *Pater noster qui es in cœlis, &c.*

Q. *In quot partes dividis hanc orationem?*

R. In tres partes, Exordium, Sex petitiones, & Conclusionem.

Q. *Quod est exordium seu præfatio?*

R. Pater noster qui es in cœlis.

Q. Quid

Q. Quid illa præfatione docemur?

R. Docemur eâ, ad Deum accedere cum confidentia, quia est Pater noster, & reverentiâ, quia majestas ejus implet cœlos. Heb. 4. 16 Eccl. 5. 1. 2

Q. Quid postulamus in tribus prioribus petitionibus?

R. Quæ directè ad Dei gloriam pertinent, videlicit.', ut gloria ejus promoveatur', per adventum regni Dei', & nostram erga eum obedientiam.

Qu. Quid petimus in tribus posterioribus petitionibus?

R. Quæ spectant ad nostram necessitatem, & ', temporalem, pro vita præsenti, utpote panem, &c', spiritualem, pro vita futura, ut remissionem peccatorum hactenus patratorum, ' & vires, ut contra tentationes in posterum firmi consistamus.

Q. Quid complectitur conclusio, seu peroratio?

R. Rationem petitionum nostrarum sumptam à regno, potestate, & gloriâ

riâ Dei) & sigillum desiderii, & confidentiæ nostræ, in voce, Amen

Q. Quid igitur innuit vox ista, Amen?

R. Significat vel, *Fiat*, & sic est nota desiderii; vel *Est*, & sic est nota confidentiæ; ut innuatur, ad Sanctorum orationes, & ardens desiderium, & firmam confidentiam requiri.

Mat. 7. 8. Ioh. 14. 14

Qu. *Quo pacto assequemur confidentiam impetrandi, quod desideramus & petimus?*

R. Innitendo promissioni Dei, ex qua persuasum habeamus datum iri nobis quicquid per Iesum Christum ex voluntate Dei petierimus.

Q. *Cum abundè dictum sit de fide, nec non de bonis operibus in genere, & in specie, de resipiscentia, & oratione, velim jam dicas, quis sit hujus tuæ religionis fructus & utilitas.*

R. Fructus & finis hujus religionis meæ est gloria Dei in æterna animæ meæ salute, per Dominum meum, Iesum Christum, cui sit laus & gloria in æternum, Amen.

2 Thes. 1. 11, 12

Symbolum

SYMBOLUM Apostolicum.

CRedo in Deum Patrem, Omnipotentem, Creatorem Cœli & terræ; 2. Et in Iesum Christum, Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum: 3. Qui conceptus est de Spiritu sancto: natus ex Maria Virgine: 4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos: 5. Tertio die resurrexit à mortuis: 6. Ascendit ad Cœlos; sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. 7. Inde venturus est judicare vivos & mortuos. 8. Credo in Spiritum sanctum: 9. Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem: 10. Remissionem peccatorum: 11. Carnis resurrectionem: 12. & vitam æternam. Amen.

Idem

Idem Latino carmine vertente *Patricio Adamsono*, Scoto, Poeta elegantissimo.

IN summum confido Deum, Patrem omnipotentem,
Auctorem cæli & terræ, Christumque in Iesum
Unigenam illius sobolem, Dominumque piorum,
Qui sacro conceptus erat spiramine; natus
Virginis ex utero Mariæ. Tormenta Pilato
Iudice perpessus, crucifixus, mortuus, atque
Clausus humo, tristes Erebi descendit ad umbras:
Luce resurrexit ternâ redivivus, ad alti
Tecta poli ascendit victor; dextræq; parentis
Assidet, in cælo & terra cui cuncta potestas.
Inde olim adveniet cunctos ut iudicet, & qui
Vivent, & quotquot tam longa absorbuit ætas.
Confido in sacrum flamen, sparsumque fidelem
In terris cœtum credo; & communia dona
Sanctorum, gratique illis peccata remitti:
Experrecturam patri de pulvere carnem
Spero, ac in cælis vitam sine fine beatam.

Symbolum

SYMBOLUM Nicenum.

CRedo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem Cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum, non factum: consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus & sepultus est, & resurrexit tertiâ die secundum Scripturas: Et ascendit in Cœlum, sedet ad dextram Patris: Et iterum venturus est in gloriâ ad judicandum vivos & mortuos: Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est

per Prophetas: Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum: Et exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, Amen.

Symbolum Athanasii.

QUicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quis integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est: Ut unum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas; neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coeterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Increa-

Ἰωαννης Ἀμιλτονιος

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater, æternus filius, æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur,

Ita tres Deos aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, creatus, vel genitus.

Filius à patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus à patre, & filio, non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo pater, non tres patres; unus filius, non tres filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus: sed omnes tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.

Ita ut per omnia (sicut jam supra dictum est) & Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi unusquisque fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quòd Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo sit.

Deus est ex substantia patris ante sæcula genitus, & homo est ex substantia matris in sæculo natus. Per-

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Æqualis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnẽ, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad Cœlos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, inde venturus est, ad judicandum vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere oportet cum corporibus suis; & reddituri sunt, de factis quisq; suis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica: quam nisi quis fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Rythmi.

Rythmi Hildeberti de sacro-sancta Trinitate.

Alpha, & Omega Deus,
Eli, Eli, Deus meus:
Cujus virtus, totum posse,
Cujus sensus, totum nosse:
Cujus esse summum bonum,
Cujus opus quicquid bonum;
Super cuncta, subter cuncta,
Extra cuncta, intra cuncta:
Subter cuncta, nec subtratus,
Super cuncta, nec elatus,
Intra cuncta, nec inclusus,
Extra cuncta, nec exclusus.
Super totus præsidendo,
Subter totus sustinendo,
Extra totus complectendo,
Intra totus in complendo.
Intra nusquam coarctaris,
Extra nusquam dilataris,
Subter nullo fatigaris,
Super nullo sustentaris.
Mundum movens non moveris,
Locum tenens non teneris,
Tempus mutans non mutaris,

Turonensis fuit Archiepisc. circiter annum Dom. 1100.

Vaga firmans non vagaris,
Vis externa vel necesse,
Non alternat tuum esse.
Heri nostrum, cras, & pridem,
Semper tibi nunc, & idem.
Tuum, Deus, hodiernum
Indivisum, sempiternum.
In hoc totum prævidisti,
Totum simul perfeciſti,
Ad exemplar summæ mentis,
Formam præstans elementis.
Nate, Patri coæqualis,
Patri consubstantialis,
Patris splendor & figura,
Factor factus creaturæ,
Carnem nostram induisti,
Carnem nostram susceptisti,
Sempiternus, temporalis,
Moriturus, immortalis,
Verus homo, verus Deus,
Impermixtus homo Deus,
Non conversus hic in carnem,
Nec minutus propter carnem,
Hic assumptus est in Deum,
Nec consumptus propter Deum,

Patri compar Deitate,
Minor carnis veritate.
Deus Pater tamen Dei,
Virgo mater, sed & Dei.
In tam novâ ligaturâ,
Sic utràque stat naturâ,
Ut conservet quidquid erat,
Facta quiddam quod non erat.
Iste noster Mediator,
Iste noster Legislator;
Circumcisus, baptizatus,
Crucifixus, tumulatus,
Obdormivit, & descendit,
Resurrexit, & ascendit.
Sic ad Cœlos elevatus
Judicabit judicatus.
Paracletus increatus,
Neque factus, neque natus;
Patri consors, genitoque,
Sic procedit ab utroque,
Ne sit minor potestate,
Vel discretus qualitate,
Quanti illi, tantus iste,
Quales illi, talis iste,
Ex quo illi, ex tunc iste,

Quantum

Quantum illi, tantum iste.
Pater aliter, sed gignendo,
Natus aliter, sed nascendo:
Flamen ab his procedendo,
Tres in unum subsistendo.
Quisque trium plenus Deus,
Non tres Dii, sed unus Deus.
In hoc Deo, Deo vero,
Tres & unum assevero:
Dans usiæ unitatem,
Et personis Trinitatem.
In personis nulla prior,
Nulla major, nulla minor
Unaquæque, semper ipsa,
Sic est constans atque fixa,
Ut nec in se varietur,
Nec in ullam transmutetur.
Hæc est fides orthodoxa:
Non his error sive noxa.
Sicut dico, sic & credo,
Nec in pravam partem cedo:
Inde veni, bone Deus,
Ne desperem, quamvis reus.
Reus mortis non desero,
Sed in morte vitam quæro.

Qui

Quo te placem, nil pretendo,
Nisi fidem, quam defendo:
Fidem vides: hac implore,
Leva fæcem, quo labore,
Per hoc sacrum cataplasma,
Convalescat ægrum plasma.

Decalogus, sive *Lex Dei.*

Loquutus est Deus omnia verba hæc, Exod. 20.

EGO sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex *Egypto*, è domo servitutis.

I. Non habebis Deos alienos in conspectu meo.

II. Ne sculpas tibi simulachrum, nec ullam imaginem effingas eorum, quæ aut supra sunt in Cœlo, aut infra in terrâ; aut in aquis sub terra: Neque incurves te illis, neque colas ea. Ego enim sum Dominus

Deus

Deus tuus, fortis, zelotes; vindicans peccata patrum in filiis, idque in tertia & quarta progenie eorum qui oderunt me; & misericordiâ utens in millesimam eorum qui diligunt me, & observant præcepta mea.

III. Ne usurpes nomen Domini Dei tui temerè: Neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen ejus vanè usurpaverit.

IIII. Memento diem Sabbathi sanctifices: Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum: At septimo die Sabbathum erit Domino Deo: Non facies ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, nec jumentum tuum, nec advena qui est intra portas tuas; Nam sex diebus fecit Deus Cœlum, terram, & mare, & quæcunque in iis sunt; & requievit die septimo, ideoque benedixit diei Sabbathi, & sanctificavit eum.

V. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut diu vivas in terrâ, quam tibi Dominus Deus tuus daturus est.

VI. Non occides.

VII. Non committes adulterium.

VIII. Non

VIII. Non furaberis.

IX. Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.

X. Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, nec servum ejus, nec ancillam, nec bovem, nec quicquam eorum quæ sunt proximi tui.

Idem Latino carmine

P. A.

Adverte Israel, memorique hæc mente repone.
Ego sum Dominus, Deus ille tuus, qui Egyptia solvi
Vincula, qui Pharii eduxi tellure tyranni:
Ante oculos aliena meos ne numina habeto.
Sculptile ne faxis ullum simulacrave verum
Quæ sunt in cælo supra, aut tellure premuntur
Inferiùs, liquidove animans sub marmore serpit.
Ne coram inclines, nullo dignabere cultu.
Namque ego sum æternus vester Dominusque Deusque,
Zelo ardens, Patrum in natos delicta rebelles
Ulciscor

Vlciscor: quæ me soboles, pro more parentum
Oderit, in terno & quarto luet ordine pœnas.
At quem cæpit amor nostri, legisque lubenter
Obsequitur monitis, ejus millesima cernet
Progenies, quàm larga adsit clementia nobis.
Ne sume incassum Jehovæ venerabile nomen,
Nam contemptorem Dominus non linquit inultum.
Sabbata sanctificato, memor: sex rite diebus
Indulgeto operi: Jehovæ lux septima magni est
Sacra quies: nullos illâ exercere labores
Fas esto, tibi, nec nato, natæ, famulove,
Ancillæve, bovive, asinove, aut jure recepto
Hospitii: nam sex terræque polique diebus
Machina conflata est: septenâ luce quievit,
Sacravitque diem ventura in sæcla beatum.
Patrem prosequere, & matrem reverenter honore;
Longævam ut felix possis traducere vitam,
In sanctâ Jehovæ concessâ munere terrâ.
Ne quemquam occidas. Alieni fœdera lecti
Ne violes. Furto abstineas. Ne testis iniquus
Vicino sis innocuo. Nec tecta propinqui
Concupias, junctamve thoro, famulumve ministrum,

Ancillamve, bovem, aut asinum, aut quid dicare possis,
Jure suum, nullo illius flagrabis amore.

Oratio Dominica.

PAter noster, qui es in Cœlis. 1. Sanctificetur nomen tuum: 2. Veniat regnum tuum: 3. Fiat voluntas tua, quemadmodum in Cœlo, sic etiam in terra: 4. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: 5. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: 6. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: Quia tuum est regnum, potentia, & gloria, in sæcula. Amen.

Eadem carmine. P. A.

ALme Parens noster, celsi super atria Cœli,
Sanctificata tui majestas numinis esto.
Adveniant tandem sperati gaudia regni:
Vtque tibi Cœli gaudent parere cohortes,

Sic

Sic tua per terras fiat sacrata voluntas.
Da nobis hodie diuturni pabula victus:
Debita condona nobis, debentibus ipsi
Ex animo cunctis ceu condonare solemus.
Ne nos in cæcas Satanæ inducito fraudes,
Sed serva à prævo: Regnum sine fine perenne
Est tibi, cuncta potestas, cunctaq; gloria. Fiat.

Oratio matutina.

GRatias ago tibi, Domine Iesu Christe, quòd hanc noctem mihi volueris esse prosperam, neque in peccatis meis me oppresseris, & in exitium dejeceris: sed pœnitentiæ melioris vitæ clementer reservaris: Teque precor, ut diem itidem hunc totum, & omnes dies vitæ meæ, mihi feliciter exoriri facias, benèque fortunes ad tuam gloriam, & animæ meæ salutem: utque tu qui es salus, & vita mundi, lux vera occasum nesciens, Sol externus omnia vivificans, alens, exhilerans, digneris exoriri, & illucescere menti meæ, illamque calore amoris tui vivificare, pane vitæ alere, fonte aquæ vivæ potare & exhilarare: ut in sole justitiæ, & luce æternâ positus, piè, & immaculatè ambulem, nec usquam impingam in ullum peccatum, sed tuæ divinæ gratiæ perpetuo ductu perveniam ad vitam æternam. Amen.

Alia

Alia

Deus mi, Pater mi, & Servator, qui gratiâ erga me tuâ effecisti, ut transactâ nocte ad hunc diem pervenirem: fac etiam ut ipsum totum in sanctissimi Numinis tui cultu, & veneratione consumam. Nihil omnino aut cogitem, aut dicam, aut faciam, quod eò non tendat, ut tibi obsequar, & voluntati tuæ morem gerum: quò scilicet actiones omnes meæ referantur ad gloriam tuam, atque fratrum meorum salutem: dum exemplo meo ad te colendum instruentur. Atque, ut mundum hunc, ad vitæ externæ usus, Solis tui splendore illuminas, ita fulgore Spiritus tui, mentem meam illustra, qui me in via justitiæ tuæ dirigat. Quamcunque ad rem applicem animum meum, is mihi semper sit propositus finis, ut tibi, bonoque tuo inserviam. Omnem felicitatem à gratia & beneficentia tua solâ expectem. Nec quicquam omnino aggrediar, quod tibi gratum non sit. Effice præterea, ut dum hujus vitæ tuendæ causa laboro, & curo, quæ ad victum & cultum corporis pertinent, altius tamen erigam animum, ad beatam nempe & cœlestem vitam, quam filiis tuis promisisti. Nihilominus, tam animæ, quàm corporis protectorem te mihi exhibendo, adversus omnes Sathanæ insultus me confirmes, ac minias, & ab omnibus periculis, quæ nobis assiduè impendent, liberes. Adhæc, cùm parum sit cœpisse, nisi perseverem, ideo à te peto, Domine, ne mihi in hodiernum diem tantùm dux sis ac tellus, sed usque ad vitæ finem me in tuam fidem

suscipias,

suscipias, quo sub tuis auspiciis, totus vitæ meæ cursus transigatur. Et quia proficiendum mihi est, gratiæ in me tuæ dona adauge indies; tantisper dum penitus adhæream Filio tuo, Iesu Christo. Quem verum Solem lucentem perpetuò in animis nostris meritò appellamus. Quæ tot tantaque beneficia, ut abs te obtineam, obliviscere quæso delictorum meorum, eaque pro infinitâ misericordiâ tuâ remitte: quod te facturum promisisti, iis qui te ex animo invocaverint. Amen.

Precatio antequam in *scholam eat puer.*

AGo tibi gratias, clementissime Deus, cùm pro aliis tuis summis & infinitis beneficiis, tum vel maximè, quòd pro singulari misericordiâ tuâ me quoque ad Evangelii tui cognitionem vocasti, præceptoribusque me tradidisti, qui bonis literis & artibus me instituerent, & animum meum sanctis honestisque præceptis imbuerent. Da ut rectè agnoscam, qualia & quanta sint hæc dona tua, & pro his semper agam tibi gratias. Præterea, discussis mentis meæ nebulis, Spiritus tui radiis me illustra, ut ea quæ mihi à præceptoribus proponuntur, cupidè feliciterque discam, fideliter retineam, promptè & cum judicio reddam, ut & Præceptorum & meus labor, pretiosum tempus, atque hæc tam commoda mihi ab te data tempora, &

ex me fructus expectantur, turpiter meâ ignaviâ & ingratitudine pereant. Id ne fiat, largire mihi Spiritum tuum sanctum, auctorem omnis intelligentiæ ac veritatis, qui me capacem, hisque percipiendis aptum & idoneum reddat. Da etiam, ut cuicunque studio exercendo me applicem, hoc mihi semper propositum sit, ut te solum agnoscam verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, atque ita te purâ conscientiâ colam.

Cæterum quia sapientiam iis promittis, qui animo sunt summisso & humili, velut pueri; eos autem qui arrogantes sunt & elati, tuis donis orbatos, tradis vanitati: eradica ex corde meo omnem superbiam, ut humilis effectus, me tibi primum, deinde iis etiam quorum me disciplinæ tradidisti, docilem & obedientem præbeam, atque ita me paulatim præparem, ut in eo studio maneam, quod mihi olim assignaturus es, tuæ solius gloriæ, atque aliorum utilitati servire possim.

Alia precatio scholastica.

OMnipotens, æterne, misericors Deus, una cum Filio tuo coæterno, Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, qui prope es invocantibus te, omnibus invocantibus te in veritate, gratias ago pro omnibus æternus pariter & hujus vitæ beneficiis; quod condidisti, elegisti, & servas tibi æternam Ecclesiam: & in ea te patefecisti Verbo tuo, per Prophetas & Apo-

stolos

stolos tradito; sicque nos diligis, ut volueris Filium tuum unigenitum propter nostram salutem descendere de cœlo, assumere humanam naturam, pro nobis fieri victimam, crucifigi, mori, ac resurgere, ascendere in cœlos, & sedere ad dextram tuam: & propter eum omnibus nobis qui credimus, gratis donas remissionem peccatorum, reconciliationem, Spiritum sanctum, justitiam, & vitam æternam; accendis, & servas inter nos lucem Evangelij, & necessaria doctrinarum studia; das, & contra diabolos defendis aliqua Ecclesiæ & scholarum hospitia: & me quoque ad hujus æternæ Ecclesiæ societatem elegisti ac vocasti, in qua & nasci me voluisti, & in agnitione ac timore tui educari, meque præ multis aliis hominibus, pro singulari & ineffabili misericordiâ tua, ornasti hoc summo beneficio, ut cum literis & bonis artibus, etiam pietatis doctrinâ instituerer. Etsi autem his beneficiis me indignissimum agnoscam: tamen quia possisti nos propter Christum Filium tuum, à te petere & expectare remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum, confiteor, & deploro omnem meam immunditiam & ingratitudinem, & toto pectore, oro, ut remittas mihi omnia peccata mea, propter unigenitum tuum Filium, Dominum nostrum: sanctificesque me ac perpetuo regas Spiritu tuo sancto: ut te solum verum Deum & coæternum tibi Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, & Spiritum sanctum verè agnoscam, invocem, timeam, & diligam. Collige & conserva tibi

Ecclesiam: tuere politias, quæ sunt Ecclesiis hospitia: conserva scholas, Ecclesiæ & Reipublicæ seminaria: Excita & adjuva fideles ac salutares Doctores ac Gubernatores: & cum luce doctrinarum pacem quoque & honestam disciplinam in Ecclesiis & Rebuspublicis tuere. Guberna & fortunam meam quoque vocationem: & fac me vas misericordiæ, organumque mihi pariter, & aliis salutare. Ne sinas me à diabolo vel à carne meâ tentari, & negligentiâ, curiositate, vel ambitione involvi. ne sinas in corde meo exoriri spes vanas, stultas sive cupiditates: sed effice ut vocationis meæ officia velim, diligenter, & fideliter faciam. Accende & corrobora in me agnitionem & amorem tui, studium veritatis & rerum utilium ac necessariarum: ut omnia dona quæ in me contulisti, & omnes labores meos, referam ad tuam unius gloriam, & proximi utilitatem. Defende me à pravis sodalitiis, & ab omnibus diabolorum insidiis. Sit verbum tuum lucerna pedibus meis, & lumen semitis meis. Hæc & alia hujusmodi peto à te, benignissime Pater, propter Dominum nostrum Iesum Christum, qui inter cæteras, hanc quoque promissionem fecit: Quidquid petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis. Item, dabit Spiritum sanctum iis qui ab eo petunt. Pater noster, qui es in cœlis, &c.

Depositum serva, & exsuscita donum Dei quod est in te. 1 Tim. 6. *Et* 2 Tim. 1.

Precatio

Precatio antequam cubitum eatur.

DOmine Deus, Pater cœlestis, qui pro multiplici sapientiâ tuâ diem labori, noctem quieti destinasti: agimus tibi gratias, quòd nos hunc diem adeo clementer custodivisti; nosque assiduè tot beneficiis cumulas. Largire etiam, Pater, ut à labore & curis requiescentes, ita somno reficiamur, ut animus interea, non, velut cum corpore consopitus, in amore tui dormitet, sed, ut memoria creationis & salutis nostræ, nullo unquam tempore de nostris cordibus deleatur. Da præterea, ut conscientia nostra non minùs, quàm corpus, suâ etiam quiete fruatur. Ad hæc ut somno moderatè utentes, non ignaviæ, sed necessitati consulamus, ut scilicet ad intermissa opera alacriores vegetiorésque redeuntes, tibi & proximo expeditius serviamus. Interea verò dum somnum capimus, nos ab omni periculo tuere, animoque item & corpore impollutos conserva, ut noster somnus etiam ad tui nominis gloriam pertingat.

Porrò cùm dies hic nobis non sine multiplici lapsu abierit (quoniam miseri perpetuò peccatum circumferimus) rogamus te, quemadmodum nox omnia nunc tenebris involvit; sic tu, pro immensâ misericordiâ tuâ, omnia peccata nostra sepelias; ne propter ea à conspectu tuo repellamur. Largire etiam quietem & consolationem omnibus, qui cùm morbis, aliisve calamitatibus conflictantur, propter Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum; qui nos, pro nobis & fratribus, hisce verbis te precari docuit: Pater noster, &c.

Di-

Directiones ad rectam sacræ *cœnæ participationem*. I.

PRæcepit Dominus populo suo Israeli (*Exod.* 12.) ut paschate vescerentur cum herbis amaris, & pane azymo, baculos manibus tenentes, & pedibus calceatis, lumbis denique accincti, tanquam ad iter ex *Egypto Canaanem* versus, suscipiendum expediti.

Hæc institutio de temporis præteriti memoria, præsentis dispositionis ratione, ac in futurum proposito eos admonebat. Præteriti temporis memoriam renovabant herbæ amaræ, acerbissimæ captivitatis, ac servitutis Egyptiacæ symbola. Quod ad præsens attinet, omnes vescentes circumcisos esse oportebat, eliminato ædibus fermento omni. Quo significabatur, eos, tanquam populum, Dei sigillo consignatum, festinos decedere oportere, præcepto panis fermentandi spatio. Quoad futurum, statuere eos oportebat, *Egyptum* quamprimùm deserere, & *Canaanem* versus iter capessere.

Iam verò, Christo paschate nostro, pro nobis immolato, qui eo dignè & convenienter vesci voluerit, hæc eadem necessariò consideranda habet: vitam anteactam, dispositionem præsentem, & futuri propositum: primò ergo si

vitæ

vitæ anteactæ actiones expenderis, ac quisnam fueris, quidque feceris, recorderis, magnam haud dubiè, acerbissimi mœroris causam invenies. Ubi quantùm cogitatione, dicto, facto, omissione, commissione, consulto, inconsulto à te peccatum sit, observaveris, memor turpissimæ servituris in Egyptiacis peccati & ignorantiæ tenebris, sub Pharaone illo spirituali, amaras pœnitentiæ, tristitiæque herbas, quibus pascha tuum condias, parato. Quòd ut melius hat, vitam anteactam ad singula Decalogi præcepta examinato, & ubi multa gravissimaque delicta tua esse deprehenderis, ac propterea iram Dei advertus te excandescere, & universas legis maledictiones ubi imminere cognoveris, in mœrore animi, ac contritione spiritus, in hunc modum precare.

Oratio prima ante *Communionem.*

LEgis tuæ, Deus, præcepta intemerata custodire impossibile, maledictionem terribilem sustinere intolerabile. Ego verò, miser, omnia præcepta tua violavi, pleraque etiam sciens volensque: ac propterea, uti servus sciens voluntatem Domini, eamque non faciens, multis plagis cædi commerear. Quod si una unius præcepti violatio horrendam tuam maledictionem

maledictionem merentur, heu quantum iræ pondus infinitis transgressionibus in caput meum attraxi. Sed quid ego faciam? Animamne meam desperationis abysso demergam? Non ita, Deus optime, non ita: Verbo enim tuo, quod meum est solatium, oneratos ac fatiscentes ad te vocas, iis refocillationem, requiem, ac refrigerium polliceris. Erigere, O anima mea, hujusque solatij dulcedinem libato. Dominus tuus te, non modò oneratum, sed & fatiscentem, & peccati oneri succumbentem videns, ad se invitat, requiem ac refrigerium tibi pollicetur. Tu me vocas Domine, & ecce, ego tibi gratiosè vocanti me sequacem præbeo. Sed quo pacto nisi te trahente ad te venire queam? Trahe me Domine, ego te trahentem sequar, ita me degravat peccatorum meorum moles, quovis monte ponderosior, ut ne unicum quidem pedem ad te promovere possim, priusquam manu subjecta tu me onere subleves. Et licet sub illo pondere ad te advenire possim; qui auderem peccatis inquinatus coram te me sistere? Nonne, velut igni admotæ stipulæ, statim exurerer? Ego tibi, Domine, fidem habeo testanti, ita te dilexisse mundum, ut Filium unigenitum dederis, ut quisquis in eum credit, non pereat, sed vitam æternam habeat. Ego in eum credo, Domine, tu promissi memor, ne me pro merito perire sinas; sed vitam mihi largire: ut à te, in te, tibi, ac tecum vivat anima mea per Iesum Christum, Dominum ac Servatorem nostrum benedictum. Amen.

Directio

SEcunda consideratio est præsentis temporis, quomodo nosmet habeamus, & quomodo edamus: attendenda est cùm nostra ipsorum dispositio, tum edendi ratio. Omnes qui Paschate vescebantur circumcisi fuerant, & cum pane azymo comedebant: tales nos esse, similiter nos agere oportet; nisi enim corda circumcisa habeamus, nullam cum Christo societatem habebimus. Qui in illo est, nova creatura sit oportet: qui enim Christi Spiritum non habet, is non est Christi. Abimelechus Davidis servis panem propositionis dare recusebat, priusquam adolescentes sanctificatos esse intelligeret. Hic panis est multò sanctior illo. Hic est panis vitæ qui cœlitus demissus est, ut mundo vitam daret. Nemo (inquit Servator) vinum novum in vasa infundit vetera. Est hoc vinum novum, est hic sanguis Domini, sanguis novi fœderis. Cave ergo ne sit rimosum animæ tuæ vasculum, sic enim perfluet: Cave ne puteat, sic enim salutare hoc medicamentum vertetur in venenum. Hæc de personæ tuæ dispositione. Iam quod ad edendi rationem attinet, cum pane azymo paschate vesci oportet. Israëlitæ fermentum omne è domibus suis exigebant: sic tibi, intima cordis tui penetralia scrutato, fermentum omne ejiciendum est. Ac primò quidem Sadducæorum fermentum, id

est

est, hypocrisin, postremo malitiæ & fœdorum affectuum ejice fermentum, ut vescaris paschate tuo non fermentatis panibus veritatis, sinceritatis & charitatis. Parum fermenti totam massam fermentabit; unus error in fundamentis religionis, quale est transubstantiationis dogma: unus immundus affectus, puta hypocrisis, aut malitia, universum tibi cultum inutilem, immo & abominandum reddet. Quo igitur cum sanctitate, tum personæ tuæ, tum etiam actionum accedas, quemadmodum Domini convivium decet, Deo humillimè in hunc sensum supplicato.

Oratio secunda ante *Communionem.*

TV, Domine, sanctificari vis in omnibus qui tibi appropinquant; nec quisquam absque sanctimonia te videre poterit. Sanctifica ergo, Domine, cor meum, ut tibi appropinquem, sanctifica mentem meam, ut te aspici m: circumcide præputium cordis mei; omni ignorantiæ, malitiæ, ac hypocriseos fermento me expurga, quo paschate nostro, id est, agno Dei, qui tollit peccata mundi, cum azymis veritatis, charitatis, ac sinceritatis vesci possim: ut virtute cœlestis illius cibi in fide, spe, patientiâ, omnique spirituali gratiâ, crescat

vefiat & augeatur anima mea, in nominis tui gloriam, & animæ meæ salutem, per Iesum Christum, Dominum, ac Servatorem meum benedictum.

Directio tertia.

TErtio loco diligenter attendendum est, quid in futurum proponat animus tuus. Hujus enim ratione calceandi sunt pedes præparatione Evangelii pacis, baculus promissionum Dei, quo te in itinere fulcias, manu gestandus, veritatis cingulo, quo ad iter expeditus fias, lumbi præcingendi. Hac ratione præparato iter ex *Egypto* ad promissam *Canaanem* suscipiendum tibi: omnis in *Egypto* mora, omnis sub Sathanâ spirituali Pharaone servitus abiuranda: Nimium enim, ac plus quàm nimium est, vitæ anteactæ momentum aliquod in fœda illa, miserrimaque servitute malè posuisse. Iam novum cum oculis fœdus percute, ne vanitatem ullam aspiciant: novum cum corde, ne oculorum tuorum vias sequatur: novum cum pedibus, ne viam impiorum insistant, aut ingrediantur. Hoc ut consequaris in hunc modum precare.

Oratio

Oratio tertia ante *Communionem.*

AGnosco, Domine, miserum me peccatorem hactenus extitisse; heu mè infelicem, qui in peccatorum viis tamdiu persistendo, nomen tuum tam graviter offenderim. Iam statui, gratiâ tua auxiliante, novum curriculum ingredi; nec diutius in Egypto morari, nec peccato aut Sathánæ ulterius operam navare, sed à virtute in virtutem progredi, donec ad promissionis terram pervenire detur. Tu modò, Domine, qui animum ad statuendum tribuisti, gratiam ac vires ad exequendum indulgeas. Tu enim solus es, qui & velle, & perficere in nobis operaris, per efficacem potentiam Spiritûs Iesu Christi, Domini nostri, cui sit gloria in æternum. Amen.

Oratio dicenda immediate *ante participationem.*

PAratum est cor meum: paratum est, Domine, cor meum: apparata & adornata est lampas mea, ut Servatori meo cui ad sponsalia me gratiosè invitare placuit, obviam procedam. Sed, proh dolor! neque cordis mei præparatio, neque lampadis adornatio, neque oleum meum, aut voluntati tuæ, aut voto meo respondet. Te verò, misericors Deus, qui neque linum

linum fumigans exstinguis, neque arundinem quassatam confringis, per Iesum Christum obtestor, ut Spiritus has tui primitias boni consulas. Quod si bonitati tuæ cor meum dilatare, ac uberiore gratiæ mensurâ me donare visum fuerit, hostiam voveo tibi pinguiorem. Tu interim, pro gratiosa tuâ promissione, voluntatem pro facto reputa; & pro eo, quod habeo, non pro eo quod non habeo, me acceptare digneris. In præsentia ego animam ac corpus meum, affectusque & verba, actiones & fortunas, denique quidquid meum est, tibi voveo consecroque, & sanctè promitto, quæ mea sunt omnia tibi tuæque gloriæ in posterum inservitura, qui Filium tuum unigenitum pro me in mortem tradidisti. Tu modò, Domine, qui ad promittendum animum dedisti, etiam ad exsequendum gratiam & auxilium indulgeas per Iesum Christum Dominum nostrũ. Amen.

Gratiarum actio: post participationem.

QVid tibi retribuam, Domine, pro innumeris tuis in me collatis beneficiis? quid Filium tuum in mortem pro me tradideris? quid pudendam [illegible]

ditatem meam gloriosâ ejus justitiâ texeris? quid animam meam multis vulneribus sauciam plagis illius sanaveris? quid carnem ejus mihi in cibum, sanguinem ejus mihi in potum donaveris? Quid, inquam, reddam tibi, Domine, ob ineffabilem hunc tuum in me amorem? Si pauperculus ille Nathanis charum habuisse fertur oviculam suam, quam pane suo, & aquâ suâ enutriverat, quanto amore dicam bonum illum pastorem me perditam oviculam suam prosequutum, quam carne suâ pascit, & sanguine suo? Quid igitur retribuam Domine? An non merito te amarem, qui me tantopere dilexisti, & pretioso sanguine Filij tui abluisti? Sane quoad vixero me bonitatem tuam celebraturum spondeo, voveoque. Sane quod supererit vitæ, tibi vivam: tibi, inquam, consecrabo vitam meam, qui Filium tuum unigenitum pro me in mortem tradidisti. Ideoque jamjam meipsum abnego, nuncium remitto meæ prudentiæ, meæ voluntati, affectibus meis. Hic ego memetipsum, & omnia quæ mea sunt, tibi, & glorioso tuo nomini dico, dedicoque. Tu, Domine, in signum acceptationis tuæ sacrificium meum prunâ de altari tuo suscende, ut coram te bonæ sit fragrantiæ. Ne patere, quæso, animam meam à te declinare, aut in aliquid, quod præter te sit, affectu inclinare: ne patere eam vel timere, vel amare quidquam præter te, aut in quoquam alio acquiescere. Mihi semper ad dextram assistens, ne labascam, sustineto, & lapsum erigito. Vtque hodie Christum Iesum, Do-

minum

minum meum, accepi; ita fac, ut in eo [illegible] vivam & incedam: fac ut præsentiæ illius [illegible] ciam perpetuò sentiam. Novi Dominum meum [illegible] otiosum delitescere in corde illo, in quo habitat.

Quòd si defuncti Prophetæ ossa exangue cadaver vitæ restituere potuerint, quantò magis vivificus Iesu Christi Spiritus cor illud, in quo habitat, animare & vegetare valebit? Sique ob arcæ tuæ præsentiam Obed-Edomi familiam olim beasti, quantò magis animæ meæ ob Filij tui præsentiam benedices? Muliercula illa sanguinis profluvio laborans, non attactu fimbriæ vestimenti ejus liberata est: sed quòd cum fide attingens virtutem quandam edixisset, sanata est. Non est, Domine Iesu, Servator benedicte, non est terrestrium elementorum (quæ quasi vestimenti tui fimbria sunt) participatio, quæ sanguineum peccati profluvium sanare potest: sed si fide anima mea te attigit, ex te virtutem elicuit. Per hanc virtutem tuam, Domine, cruentum animæ meæ profluvium sistentem, notum mihi fiat, quod te fide tetigerim. Tu Domine panis vitæ es, fac te sentiam in anima mea viventem, ut inde cognoscam, verè me ex pane illa comedisse. Fac percipiam vivifici Spiritus tui potentiam, animam meam in novam vitam [illegible], & in ea [illegible] mortificantem. Vedit tu fœdus tuum, Domine, mecum hodie renovasti, ita tibi vicissim ego vitæ emendationem novitatemque voveo.

Tu quoque, Domine, quem admodum bonum curriculum ingrediendi proposuisti me fecisti, ita & gratiam mihi largiaris, quo in finem usque constanter perseverare & sustinere possim: ne forte ut canis, ad vomitum, aut ut sus lota, ad fœditatis meæ volutabrum revertar. Concede, Domine, ut omni posthac tempore peccata mea deflere, & vitæ anteactæ delicta abominari possim: nam ignarus immundum spiritum si quando in animam meam regressum habere possit, emundatam jam & adornatam, septem alios spiritus seipso nequiores, secum introducturum, atque ita exitum meum initio deteriorem futurum? Tu Domine, qui validior illo es, qui validum illum exarmasti, & possessione deturbasti, solus eundem regressu prohibere, animamque meam tibi dilectam conservare potes. Tu igitur Salvator clementissime, fidei meæ author & perfector, qui non modo velle, sed & perficere largitus, bonum opus, quod in me inchoasti, ad finem perducito, in nominis tui gloriam, & animæ meæ salutem. Amen.

FINIS.